



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

10 [i. e. 18] Controversiae de praecedentia, quomodo terminandae, & à  
quibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

fitui possit, ipso facto similiter incurren-  
dis pœnis ipsum regularem delinquentem  
à loco, ad quem transmissus fuit, revoca-  
re, & ad illum, in quo deliquit restituere,  
seu sistere teneri voluit, quòd si hoc etiam  
facere prætermiserit, Ordinarius loci ad  
quem regularis delinquens transmissus  
fuerit, super premissis ab ipso Ordinario  
loci, in quo delinquit, similiter requisitus,  
vel aliàs de illius delicto informatus, tan-  
quam Sedis Apostolicæ delegatus, præ-  
di. cõc. decretum omnino exequi, & in re-  
gularem delinquentem severe animadver-  
tere potest, & debet, *ut in constitutione, sub-  
dat. Romæ 7. kal. Martij. Anno. ab Incar.  
Domini. 1595.*

Nec possunt ¶ Regulares à suis conven-  
tibus recedere, etiam prætextu ad superio-  
res suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut  
vocati fuerint, & si qui sine licentia in scri-  
ptis obtenta reperti fuerint, ab Ordinariis  
locorum, tanquam desertores sui instituti,  
sunt puniendi. Illi autem, qui studiorum  
causa ad Universitates mittuntur, in con-  
ventibus tantum habitare possunt, alio-  
quin ab eisdem Ordinarijs contra eos est  
procedendum. Conc. Trid. in cap. 4. §. *ne  
liceat. de Regular. & Monial. sess. 25. ¶ Ne-  
que sine sui superioris licentia prædicatio-  
nis, vel lectionis, aut cujusvis pij operis  
prætextu, subjicere se obsequio alicujus  
Prælati, Principis, vel Universitatis, seu  
Communitatis, aut alterius cujuscumque  
personæ, vel loci, neque ei aliquod privi-  
legium, aut facultas ab alijs super ijs obten-  
ta suffragari valet: si verò contrafecerint,  
tanquam inobedientes, arbitrio superioris  
sunt puniendi, & Ordinarij eorundem su-  
periorum negligentiam supplere possunt,  
*sap. quanto, de off. ord. Cle. 1. §. quia verò, de**

*stat. mon. & Conc. Trid. eod. cap. 4.*

Regulares, & exempti, ¶ etiam monachi,  
ad publicas processiones omnes accedere  
compelluntur, ijs tantum exceptis, qui in stri-  
ctiori clausura perpetuò vivunt, & contro-  
versias omnes de præcedentia, ¶ quæ per-  
sæpe maximo cum scandalo oriuntur inter  
ecclesiasticas personas, tam seculares,  
quàm regulares, cum in dictis processio-  
nibus publicis, tum in ijs, quæ sunt in tu-  
mulandis defunctorum corporibus, & in  
deferenda umbella, ac alijs similibus, Epi-  
scopus, amota omni appellacione, & non  
obstantibus quibuscumque componere  
debet, Conc. Trid. cap. 13. *de regul. ea sess.  
25.* quæ compositio brevi manu, summa-  
rie, & de plano, ac sine strepitu, & figura  
judicij, debet expediri, ut declaravit sacra  
congregatio Concilii. *in decis. manuscrip. su-  
per eo. cap. factis in verbo, componat.* & illa di-  
ctio, exempti omnes, non comprehendit  
eos, qui sunt nullius diocœsis, vel extra ci-  
vitatem in locis, in quibus habent plebem,  
quia cum illa plebe debent facere profes-  
sionem, neque laicorum confraternitates,  
quæ possunt quidem ab Episcopis invitari,  
sed non, ut accedant, compelli, ut ibi in  
verbo, exempti, & in ver. quam regulares.  
Tenentur autem ad omnes, & quascun-  
quo processiones publicas, & consuetas,  
vel indictas pro bono publico, vel hono-  
re: non tamen compelli possunt prædicti  
regulares exempti accedere ad ecclesias ex-  
tra propria monasteria pro celebratione  
orationis quadraginta horarum, sed con-  
gregatio censuit illos, quando toti populo  
dicta oratio indicitur, in proprijs ecclesijs  
hujusmodi orationi vacare debere, ut ibi  
in decis. super eod. cap. in ver. vocati. &  
compelli possunt compellendi per censu-

ras, vel alias poenas Episc. bene visas, ut in  
eisd. decis. in fin.

19 Sunt etiam regulares ꝛ Episcopo sub-  
jecti in observatione dierum festorum,  
quæ in dicecesi sua servanda Episcopus  
præceperit, censurasque & interdicta, ne-  
dum à Sede Apostolica, sed etiam ab Or-  
dinarijs promulgata, mandante Episco-  
po, in eorum ecclesijs publicare, & servare  
debent, c. de h. u. 12. dist. & Concil. Trid.  
c. 12. de reg. & monial. sess. 25. Ritus tamen  
eorundem regularium dictis diebus fe-  
stis, quoad lectiones, Episcopales, Evan-  
gelia & similia, debent servare; in sacris  
verò lectionibus, & concionibus servari  
debent ab ipsis illa Evangelia, & Episto-  
la, quibus clerus secularis utitur pro mo-  
re, & instituto illius ecclesiæ, ut ibi in ver-  
bo, servantur.

20 In monasterijs etiam, ꝛ domibus vi-  
rorum, seu mulierum, quibus imminet  
animarum cura personarum secularium,  
præter eas, quæ sunt de illorum monaste-  
riorum, seu locorum familia, personæ  
tam regulares, quam seculares, hujusmo-  
di curam exercentes subsunt immediate  
in ijs, quæ ad dictam curam, & sacramen-  
torum administrationem pertinent, ju-  
risdictioni, visitationi, & correctioni E-  
piscoporum, in quorum dicecesi sita sunt.

Nec ibi aliqui, etiam ad nutum amovibi-  
les, possunt deputari, nisi de eorundem  
Ordinariorum consensu, & prævio exa-  
mine per eum, & ejus Vicarium, ac ex-  
aminatores Synodales faciend. Concil.  
Trid. c. 11. de reg. & mon. ead. sess. 25. & ibi  
congregatio Conc. in decis. 1. ubi notatur  
in fine, quod Clemens VIII. mandavit  
servari dictum decretum, in quo excipi-  
untur aliqua monasteria, & capita ordi-  
num, non obstante constitutione Pij  
Quinti, qua voluit, ut in omnibus eccle-  
sijs parochialibus, in quibus cura anima-  
rum etiam laicorum exercetur, habeant  
Ordinarij facultatem eas ecclesias & per-  
sonas visitandi, & ut supra corrigendi.

Et, ut debitus honor ꝛ matri ecclesiæ  
reddatur, tam regulares, quàm clerici se-  
culares, etiam super hoc Apostolicæ Se-  
dis privilegio muniti, die Sabbati majori-  
s hebdomadæ, antequam campana Ca-  
thedralis, vel majoris ecclesiæ pulsetur,  
campanas in ecclesijs suis pulsare minime  
possunt. Contrafacientes autem pœ-  
nam centum ducatorum incurrunt, ut in  
Bull. Leo. X. in Bull. c. 27. post. med. vers. &  
ut debitus, & ita fuit etiam à sacra congre-  
gatione Cardinalium sub die 10. Octobr.  
1586. decisum, ut in decis. quæ incipit, lecto,  
vers. Quarto Ordinarij.

## DE SYNODO.

### Cap. IX.

#### S V M M A R I V M.

1 Conciliorum quatuor sunt genera, cur, à  
quibus, & quando sit Provinciale Conci-  
lium celebrandum.

2 Concilij Provincialis celebrandi loci ad  
Archiepiscopatum spectat electio.

l. 3

Adi